



THESES CANONICAE

EX QVINQVE DECRETALIVM LIBRIS

GREGORII PAPAE IX.

FELICISSIMIS SVB AVSPICIIS

ILLVSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI

D. THOMAE

EX COMITIBVS

DE GHERARDESCA

ARCHIEPISCOPI FLORENTINI

PVBLICE PROPVGNATAE

IN ABBATIA FLORENTINA

A D. ARCHANGELO FRANCESCHINI

MONACHO CASINATE

ASSISTENTE

D. ANGELO MARIA QUIRINI

IBIDEM LECTORE.





FLORENTIAE. MDCCV.

Nella Stamperia di Cesare Bindi. *Con licenza de' Superiori.*



ILLVSTRISSIME
AC
REVER. DOMINE



A est, Illustriss. ac Reverendiss. Domine, vetus atque vulgata Hominum nostrorum consuetudo, ut seu Canonicas, seu Theologicas, seu Philosophicas Theses propugnaturi haud quaquam in Arenam descendant, quin sibi prius Mæcenatem, in quo summa authoritas sit atque amplitudo, delegerint. Bene ac sapienter; cùm ut Clarissimorum Virorum conspectu dicentis animus reficiatur, recreeturve; tùm ut, quemadmodum aliorum omnium, ita literarij quoque Ludi nulla res sit; quæ rite, sine ipsorum ope atque præsidio peragatur. Quem tamen morem non unquam magis usurpandum, colendumve reor, quam quum in publicum prodeuntes studijs nostris coronidem imponimus, non ijs quidem quibus ob inexhaustam

quandam animis nostris insitam sciendi cupiditatem certi fines non sunt, sed quibus sub Mystagogis, ut ita dicam, bonarum artium ac disciplinarum sacris initiamur. Tot siquidem tamque graves nocturnis diurnisque horis in literario curriculo impensi labores eo tandem collimant, ut ijs defuncti publico periculo facto optatam prospero exitu metam contingamus. Quum mihi itaque in hoc temporis articulo supremi certaminis iacienda sit alea, Te Te appello Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum, Te sapientissimum Virum, Te Mæcenatem amplissimum, Te Antistitem omni laudum genere cumulatum; Quas si in hoc Thesium Proloquio, ut assolet, carptim summatimque delibem, qui fiet, ut mihi maximis Tuis, clarissimisque virtutibus digna contingat Oratio? quin vereor ne istas ingenij mei culpa deterere videar atque Tuo detrahere

Hærentem capiti summa cum laude Coronam.

Quis enim pervetustam Familiæ Tuæ ex Longobardorum genere prognatæ dignitatem, præclara Avorum Tuorum facta, imperium in quàm plurima oppida, diuturnum Pisarum principatum, nuptias cum regio sanguine iunctas, egregia in Patriam, & in exteras etiam regiones merita dignè commemoraverit? Quis pulcherrimum illum, qui in Teipso renidet, Virtutum omnium consensum, præstantissimasque animi dotes, quibus longo intervallo vel Maioribus Tuis antecellis? Quæ omnia magnificis quidem laudationibus exornanda, at non inter arctos, queis Proloquium hoc describitur, fines, neque in hac Vrbe, in qua nemo prorsus est, qui in Antistite suo Thoma non oculos atque ora defixerit. Quotus quisque est qui ignoret, Te vix dum in Canonicorum Primariæ Ecclesiæ Collegium cooptatum Romam addiscendæ Iurisprudentiæ causa commigrasse, reversumque primùm quidem in Pontificii Legati, deinde in Archiepiscopi Tui Tribunali sedisse, atque ubique raro fidei & equitatis exemplo iniunctam tibi provinciam ad-

administrasse? Deinceps vero, ut Tua Te merita, & singularis integritas vitę multis magnisque rebus spectata ad Fesulanum solium evexerint; ubi admirabile illud incorrupti iudicii spectaculum edidisti, quod, quum Tibi de quibusdam Ecclesiæ Tuæ prædiis ac proinde proventuum Tuorum parte illata lis esset, ea fuit adversariorum securitas, ut Te ipsum iudicem sumpserint, ea animi Tui constantia, ut in Te ipsum sententiam pronuntiaveris: in quo sane Romanum illum Consulem prætergressus, qui quum Camertum bonis auctum ęrarium, propagatosque imperii fines comperisset, atque id iure an iniuria factum ignoraret, legem de ipsis in pristinum restituendis, rogavit. Itaque, quum omnibus maiori provincia dignus videreris, a Fesulana Sponsa divulsus, atque ad florentissimæ huius Ecclesiæ Thorum transductus eo demum pervenisti, quo Te Civium amor, populi desideria, ac totius Civitatis vota vocabant. At Ipse [notum id etiam pervulgatumque] quæ est animi Tui moderatio, honores quosvis, ceu alii calamitates, deprecabaris, & quum ad eorum fastigia rapereris, invitus quodammodo recedebas, Solis instar, qui licet Octavæ, quam vocant, Sphæræ ab infera ad superam Cœli plagam irrequieto motu feratur, ipse tamen in Orbe suo retro contrario motu versatur. Neque vero hoc tantum modestiæ tuæ recessu, sed alijs etiam multisque in Pastoralis muneris curatione Astrorum Principem æmularis, nam, ut ille cuncta splendore suo lustrat ac complet, ita Ipse ubique Sanctitatis, Prudentiæ, Humanitatis, Doctrinæ, ac denique Virtutum omnium beatissima luce coruscas. Fuit hæc amplissimæ huius Ecclesiæ præ cœteris laus, si vel ipsa nascentis exordia repetamus, ut non nisi Sanctissimos Præsules, magnaque doctrina, & alta mente præditos habuerit; eritque semper, cùm ob insignem divinisque laudibus extollendam Mediceorum Principum pietatem, tùm ob Cleri huius gloriam atque amplitudinem. Attamen quum Te ipsum intueor, Teque con-

contemplor, ſperare videor, fore ut ad Thomæ exemplar, tanquam ad perfectam quandam veterum huius Eccleſiæ Patrum imaginem, inſequentium ętatum Antiſtites a Civibus exigantur. Fuit, fuit etiam Florentinorum Pontificum hic honos, ut plerique ex hoc dignitatis apice ſacra Purpura donati ad altiorem gradum aſcenderent; idemque Tibi non vana ſpe ducti, ſed Tuis ſummis Virtutibus freti brevi eventurum confidimus; quin tanquam pro maximo totius Eccleſiæ bono communia vota nuncupamus. Accipe fauſtum hoc omen, Illuſtriſſime, ac Reverendiſsime Domine, atque interim mihi diſputationis fluctus ſubeunti:

Da facilem curſum atque audacibus annue cæptis.



THE-

THESES CANONICÆ

I.

SUmmus Pontifex Romanus potestatem habet condendi leges ecclesiasticas pro tota Ecclesia, leges v. politicas ferre potest intra proprium Territorium temporale: Principum tamen leges æternæ salutis dispendium continentes ad Summum Pontificem spectat improbare, & revocare *. c. unam sanctam Extrav. de Maior. & obed. c. ad abolendam de Hereticis & alibi.*

II.

Consuetudo nequit cadere nisi supra eam materiam, supra quam cadere posset lex scripta *arg. Text.* 12. *c. ex literis de consuet.* quare nequit consuetudo introduci contra Ius naturale, vel Divinum, contra Ecclesiam, Religionem vel bonum publicum *c.* 2. *&* 4. *c. ex parte de consuet.*

III.

Postulatur ad Prælaturam, cum quis de Iure communi per viam Electionis promoveri nequit, requiritur tamen ut ad eam concurrant duæ tertiæ partes Capitularium, si Postulatio cum Electione concurrit *c.* 40. *de Elect.* sed si nulla ex adverso concurrat Electio, sustinetur Postulatio facta a maiori parte Capituli.

IV.

Electiones Ecclesiasticę, quę nequaquā ad populum spectant, triplici modo canonicè contingere possunt 1. per scrutinium iuxta regulam traditam in *c. quiapropter de Elect.* 2. per compromissum *d. c. quiapropter* 3. per Inspirationem, vel quasi Inspirationem, at in ipsis sortes adhibere non licet. Tran-

V.

Translationes Episcoporum, aliorumque Prælatorum superiorum pertinent ad solum summum Pontificem, ex eo quod huiusmodi translationes inter maiores causas sunt relatæ *c. cum ex illo c. inter corporalia, c. licet de Translatione.*

VI.

Pallij traditio confert auctoritatem, & plenitudinem pastoralis officij, quam ante pallij traditionem habet Archiepiscopus tantum in habitu, non autem in actu, licet nondum recepto pallio possit exercere actus minus principales, quos tantum stola indutus exercere solet *t. de Potestate & Usu Pallij*

VII.

Is ad quem spectat collatio Beneficij, elapso semestri illud conferre non potest, & si conferat collatio est nulla, nisi sustineatur ex æquitate, eius tamen negligentia ab immediato Superiore suppletur *c. licet, c. literas c. dilectus de supplen. neglig. Prælat.*

VIII.

Ordines conferri possunt a solo Episcopo proprio qui est vel originis, vel domicilij vel beneficij; pro quo est observanda specialis *Bulla Innoc. XII.*

IX.

In promovendis ad beneficia diversa ætas requiritur, ad Episcopatum enim 30. anni completi desiderantur *c. 7. de Elect.* ad alia beneficia curata, Parochias, Archidiaconatus, Præposituras, Decanatus, Abbatias, & similia sufficit ætas 25. annorum, secus v. si nullam habeant annexam curam Animarum; nam tunc satis est ætas 22. annorum, ad beneficia v. simplicia licet de Iure communi sufficiant 7. anni, de iure tamen *Tridentini* 14. desiderantur.

X.

Filij Presbyterorum legitimè suscepti possunt quidem ad sacros ordines promoveri, neque ipsi tamen, neque a for-

fortiori illegitimi possunt sine Papæ dispensatione sive immediatè sivè mediatè in beneficijs paternis institui *c. dilectus de Filijs Presbyterorum.*

XI.

Assumi nequeunt ad ordines 1. qui patiuntur defectum natalium ut sunt Incestuosi, Nefarij, Sacrilegi, Spurij 2. obligati ad ratiocinia *c. Vn. de obligatis ad ratiocinia*, 3. corpore vitiati *c. de Presbytero de corpore vitiatis*, qui propria voluntate passus' est virilium sectionem pariter est ab ordinatione removendus *c. ex parte eod. t.* 4. Bigamus ex defectu significationis Matrimonij Spiritualis inter Christum & Ecclesiam unicam & Virginem *c. cognoscamus d.* 34.

XII.

De iure divino & non ex Ecclesiæ institutione competit summo Pontifici maioritas supra quoscumque Prælatos Ecclesiasticos proinde a nemine iudicari potest, & eodem iure Episcopis supra inferiores Presbyteros *Trid. s.* 23. *c.* 4. *& tit. de maior. & obed.*

XIII.

Capitulum Sede vacante beneficia quæ vel ex iure communi vel aliunde ad liberam collationem ipsius Episcopi spectant conferre non potest *c. unico ne Sede vacante in 6.*

XIV.

In beneficijs Ecclesiasticis non succeditur iure sanguinis vel hereditario sed ex institutione canonica *c.* 1. *de Præbendis & dignit.*

XV.

Permutatio Præbendæ seu beneficij facta irrequisito proprio Prælato nulla est, imo qui permutavit propria authoritate, privatur beneficio ita permutato *c. maior. de Præb. c. un. de Rer. perm. in 6.*

XVI.

Episcopus de rebus patrimonialibus Testamentum facere potest, de rebus v. intuitu Ecclesiæ acquisitis testari non valet *c. quorundam de testam.* At vitam monasticam seu regu-

gularem professi nullatenus Testamentum facere possunt *c. quia ingredientibus eod. tit.*

XVII.

Eligens sepulturam in Monasterio aut in loco religioso ibi sepeliendus est, debetur tamen portio quarta propriæ Parochiæ de relictis Ecclesiæ in qua sepelitur *c.* 1. *&* 2. *c. certificari c. in nostra de sepult.*

XVIII.

Excommunicati ab uno Episcopo, ab alio recipi non permittuntur; si autem in excommunicatione decesserint, non sunt tradendi sepulturæ Ecclesiasticę, & si de facto intra Ecclesiam sepeliantur, exhumandi sunt, si discerni possint ab alijs fidelium corporibus *c. sacris de sepulturis.*

XIX.

Petens seu recipiens a Principe sæculari bona Ecclesiastica illis privari debet, & excommunicari *c. qui res Ecclesiæ de Rebus Ecclesiæ.*

XX.

Res Ecclesiæ alienari non debent. *Clem.* 1. *de Rebus Ecclesiæ.*

XXI.

Prælatus Ecclesiæ non potest res donare nisi modicæ sint, & adsit consuetudo *c. cæterum de donationibus.*

XXII.

Ecclesia potestatem habet dimittendi quæcumque crimina contra Novatianos, imo nunquam ipsius disciplina fuit verè pœnitentibus omnem pœnitentiæ aditum præcludere *c. talis de Pœnit. d.* 3.

XXIII

Solemnis pœnitentia potest ab Ecclesia pro publicis peccatis imponi, non tamen Clericis nisi prius depositis, ut in antiqua Ecclesiæ disciplina observabatur, *c. confirmandum & seqq. d.* 50.

XXIV.

Religiosi fugitivi annuatim sunt requirendi, & cogendi ut ad Claustrum revertantur *c. Religiosi de Regularibus.*

Vota

XXV.

Vota possunt Eleemosynis redimi, vel in aliud commutari Superioris intercedente authoritate *c.* 1. 20. *q.* 3. at omne votum commutabile est propria authoritate in votum solemne Religionis *c. Scripturæ Sacræ de Voto & Voti Redempione.*

XXVI.

Monachus, seu Religiosus non debet aliquid peculiare possidere, alias si cum proprietate decedat, privatur Ecclesiastica sepultura *c. super quodam de statu Monach.*

XXVII.

Patroni, qui si laici sint, possũt variare, & duos successive præsentare *c. quod autem de Iure Patron.* non possunt Clericos instituere absque Episcopi authoritate, alias tam ipsi, quã Clerici ab eis Ecclesias recipientes excommunicãtur *c. præterea eod. t.*

XXVIII.

Clerici in sacris costituti debent omninò continentiam servare etiã ab usu illius Matrimonij quod ante ordinum susceptionem contraxerunt, & hoc iuxta antiquissimam Ecclesiæ diciplinam atque consuetudinem; imo neque possunt cum uxoribus antea ductis cohabitare *c. ad apostolicam de convers. coniug.*

XXIX.

Si altare motum fuerit, aut lapis principalis confractus denuo debet consecrari, non v. ipsa Ecclesia *c. ad hæc de Consecr. Eccles.* & hanc nullo modo potest simplex Presbyter consecrare, nec eam violatam reconciliare etiã ex delegatione Episcopi *c. aqua eod tit.*

XXX.

Baptismus, qui rectè infantibus ab Ecclesia conceditur, quique collatus in nomine Christi non valet, valide semel susceptus iterari non potest *c.* 1. *de Bapt. & eius effectu*, proindè ab Hæreticis sub Ecclesiæ forma baptizati rebaptizari prohibentur.

Cul-

XXXI.

Cultus imaginum neque pugnat cum lege Dei, neque unquam fuit ab Ecclesia improbatus, *Cont. Nicæn. 2. adversus Iconomachos* nemo tamen potest publico pietatis cultu venerari, nisi ab Apostolica Sede fuerit beatus declaratus, quamvis miracula faciat *c. 1. de Reliquijs & vener. SS.*

XXXII.

Reus criminis etiam immanis, dummodo non sit de exceptis ad Ecclesiam confugiens ab ea extrahi non potest, non tamen si quis ad Ecclesiam recurrat mutandę conditionis causâ *toto t. de Immunit. Eccles.*

XXXIII.

Clerici, & Monachi non debent Sæcularibus negotijs se immiscere *t. ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotijs se immisceant.*

XXXIV.

Pretium recipere pro habitu monastico Simoniacum est, & illud recipientes suspenduntur ab officio *c. veniens de Simonia.*

XXXV.

Ecclesia vel Iurisdictio Ecclesiastica sub annuo censu seu pretio concedi non debet *t. de Prælatis ne vices suas.*

XXXVI.

In qualibet Ecclesia Cathedrali providendum est de Magistro qui Clericos Sæculares pauperes doceat & ne pro licentia docendi aliquid exigatur, *t. de Magistris.*

XXXVII.

Iudæi inter Christianos commorantes veteres Synagogas reficere & reparare valent, novas v. erigere nequeunt *c. Iudæi de Iudæis & Sarracenis & eorum servis.*

XXXVIII.

Iudæi inviti & renuentes cogendi non sunt Baptismum suscipere *c. sicut iudæi de Iudæis.*

XXXIX.

Iudæi seu Pagani non debent præfici iudicijs publicis aut iu-

iurisdictionem exercere inter Christianos *c. cum sit nimis de Iudæis*.

XXXX.

Dubitans in fide Hęreticus est *c.* 1. *de hæret.*

XXXXI.

Hæretici & eorum fautores seu receptatores excommunicantur & ita decedentes Ecclesiastica sepultura privantur *c. excommunicamus* 13. & 15. *de Hæret.*

XXXXII.

Hæretici impœnitentes seu pertinaces in errore tradendi sunt Curiæ sæculari & si Clerici sunt prius degradantur ac omnibus beneficijs privantur *c.* 1. *c. ut commissi c. pen. de Hær. in* 6.

XXXXIII.

Laici in Ecclesia prædicare non debent, nec de mysterijs fidei in conventiculis disputare *c. sicut in uno de hæreticis.*

XXXXIV.

Ordinationes factæ ab Schismaticis nullæ sunt quo ad exercitium gradus collati nisi dispensatum sit cum ita ordinatis *c. fraternitati de Schismaticis*.

XXXXV.

Clerici qui dimisso habitu Clericali ut Laici conversantur privantur privilegio fori & Canonis *c.* 1. *de Apostatis.*

XXXXVI.

Baptizati si ad ritus Iudaicos seu paganos redierint coguntur eos relinquere & fidem quam semel professi fuerunt custodire. *c. quidam de Apostatis.*

XXXXVII.

Monachi deserentes habitum & professionem sunt retrahendi & carceri mancipandi ac alijs pœnis puniendi *c. a nobis c. consultationi de Apostatis.*

XXXXVIII.

Clericus interdictus seu excommunicatus celebrans deponitur irregularisque manet ex iuribus compilatis in *t. de Clerico excommunicato c. si Episcopus & sequenti* 11. *q.* 3.

XXXXIX.

Ordinatus per ſaltum ſuſpenditur & gradus omiſſus illi conferendus eſt *c. tuæ nobis de Clerico per ſaltum promoto*.

L.

Prælatus non debet excommunicare ſubditum niſi competenti monitione præmiſſa *c. ſacro de ſent. excom.*

LI.

Monachi & Canonici Regulares quocumque modo ſe in Clauſtris percuſſerint non ſunt ad Apoſtolicam ſedem mittendi, ſed ipſis per Superiorem ſuum abſolutio eſt impendenda *c. canonica de ſent. excom.*

LII.

Abbatiſſa non poteſt Canonicas ſuas ſeu Moniales & Clericos ſibi ſubiectos excommunicare licet poſſit ab officio ſuſpendere *c. dilecta de maior. & obed.*

LIII.

Quod latenter aut per vim aut alias illicite introductum eſt, nulla debet ſtabilitate ſubſiſtere *c. quod latenter de Regulis Iuris*.

Diſputabuntur die 19. Aprilis hora 21.





